

Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Decisiones Miscellanæ

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio XCIX. Argumentum. Deciditur, an teneatur restituere Mandans damnum fieri, si revocavit mandatum factum? Et an illi, qui filios illegitimos mittunt ad Hospitale Domus Dei? Et an Advocati ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94626](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94626)

Rodrig. *de part. 2. tract. 3.* Ex Martin. Lornario. *lib. 2. tract. 2. cap. 32. post sum. Toleti.* Ex Philotea S. Franc. Salsii *part. 3. cap. 4. §. 6.* Ex Philosoph. Morali Eman. Thesauri *lib. 9. c. 3.* Ex P. Lud. de Ponte (Guida Spirituale) *part. 1. tract. 2. cap. 4. & seqq.* Ex Horto Pastor. Marchantii *In Tab. Sacerd. tr. 1. sect. 12. & Eminentiss. Card. de Laurza d. rom. 2. disput. 31. art. 4. per totum;* ubi luculenter, ac pie hanc celeberrimam Virtutem, quam exemplari vita iugiter est professus, & cujus radii nihilominus, quam Purpura fulget, exornat, & declarat.

DECISIO XCIX.

ARGUMENTUM

Deciditur, an teneatur restituere Mandans damnum fieri, si revocavit mandatum factum? Et an illi, qui filios illegitimos mittunt ad Hospitale Domus Dei? Et an Advocati patrocinati lites injustas, vel dubias.

SUMMARIUM

1. Mandatum revocans ante damnum datum, si detur, an restituatur?
2. Ratum habens damnum an sit obnoxius restitutioni?
3. Hospitali, ad quod filii illegitimi mittuntur, an debita sit restitutio?
4. Hospitalis opulentia, vel egestas consideranda.
5. Hospitale Domus Dei Padua quo anno fundatum?
6. Advocatus, qui defendit causas injustas, quomodo absolvendus?
7. Joannis Parentii Advocati Pistoienfis casus mirabilis.
8. Advocatus causa injusta obnoxius est restitutioni.
9. Advocatus an possit defendere causas dubias?
10. P. Tobias Lohner Soc. Jesu cur non dedit monita pro Advocatis?

Quia supra dictum est *Decis. 96. num. 2.* quod qui mandat damnum fieri, teneatur ad restitutionem, nunc proponitur sequens Quæsitum: An Mandans fieri damnum, si revocat mandatum ante damnum, & fiat damnum, teneatur ad rescindendum damnum.

EX dictis in præcedenti *Decis. XCVI. num. 2. in Verb. Jussio*, deduxerunt omnes respondendum, mandantem non teneri, si verè, & efficaciter notificavit mandatario retractionem mandati, dummodo simplex mandatum fuerit, non etiam consilium. Lessius *de Just. & Jur. lib. 2. cap. 13. dub. 3.* Bonacina *tom. 2. de Rest. in gen. disput. 1. quæst. 2. part. 6. num. 3.* Busemb. *lib. 3. tract. 5. cap. 2. dub. 2.* Graffius *part. 1. lib. 2. c. 127. num. 6.* & Eminentiss. Cardin. de Lugo *de Just. & Jur. tom. 1. disput. 19. num. 23.* Quod si mandatarius noluisse credere, retractionem mandati esse veram, vel eam oblitus damnum intulerit, plurimi volunt mandantem obligatum esse damnum rescire, eo quia præcedens mandatum influit in hoc damnum. Eminentiss. Cardin. de Lugo *ibid. num. 26. 27. 28.* & Tamburin. *in Decal. lib. 8. tract. 4. cap. 2. §. 1. num. 6.*

Alterum Quæsitum sit: An habens ratum damnum ab alio illatum, teneatur rescire? dictum fuit, non teneri, si eo nesciente damnum fuit illatum; nam rati habitio habet quidem vim mandati in contractibus, & in foro exteriori, secus autem in obligationibus restituendi, seu rescindi damna. Layman. *lib. 2. tract. 2. cap. 5. num. 3.*

Doct. Clericali *Tom. II. Lib. IX.*

Graffius *dict. part. 1. l. 2. c. 127. n. 7.* Eminentiss. Cardin. de Lugo *dict. disput. 19. a num. 32. & seqq.* Quamvis non desint rigorosiores, qui docuerunt contrarium, quos citat, & sequitur Azorius *part. 3. lib. 4. cap. 12.*

Porro quid respondebit Confessarius ad sequentem casum? Unus, duo, & plures Cives narrant Confessario, se plurimos gnatos ex concubinis misisse ad Hospitale vulgò la casa di Dio. Quæritur, An sint obligandi expensas rescire dicta domui?

DUas reperi opiniones. Unam, quod prædicti Cives tanquam divites obligati sint in conscientia rescire Hospitali domus Dei expensas suorum filiorum, ex concubinis susceptorum, quos ad dictum Orphanotrophion transmiserunt; ut docent Homobon. *de Exam. Eccles. part. 2. tract. 10. cap. 4. quæst. 14.* & Bellochius *in Praxi Moral. Theolog. part. 2. quæst. 7. num. 25.* quos refert F. Callianus à S. Elia *in Centum Histor. decis. 40. num. 23.* ubi examinat hunc casum. Alteram, quod sit distinguendum, an Hospitale habeat sufficientes redditus pro alendis expositis, nec ne? Si habeat, & sit opulentum, patres divites ad nihil tenentur, quia censetur fundatum Hospitale ad impedienda infanticidia tam divitum, quam egenorum. Contra, si Hospitale sit pauperimum, in egestate, obligatos esse genitores locupletes ad rescindendas expensas gnatorum. Layman. *lib. 3. tract. 3. part. 3. cap. 14. num. 4. §. Dico tertio* Tamb. *in Dec. lib. 5. cap. 3. §. 1. num. 5.* Sanchez. *in Consil. Moral. tom. 1. lib. 1. dub. 4. & dub. 5. præcipue num. 74.* Coton. *in Summa Diana Verb. Restituere, num. 34.* & ipse Diana *part. 3. tractat. 9. resol. 40.* Cujus domus collocata est in Coordinato opere *tom. 8. tract. 7. ref. 47.*

Quibus stantibus in Jure, si ad factum hujus nostræ Urbis Antenoreæ casum applicemus, erit Orphanotrophion, seu Pia Domus Dei ad recipiendos, & alendos filios expositos ære publico sit instituta anno Domini 1271. teste Scardenio *lib. 2. concl. 5.* Portenario *de Felicit. Pad. lib. 9. cap. 47.* Urato *in Monument. Patavin. lib. 1. sect. 10.* & salutis nostræ seculo decimo quarto nonnullis hereditatibus piorum Civium Patavinorum fuerit ditata, prout notat idem Portenar. *d. capit. 47.* nihilominus Domum hanc laborare egestate, & sufficientes redditus non habere pro alendis lactentibus, nutricibus, famulis, ministris, filiisque, ac filiabus grandævus manifestè constat; quare Cives, aliosque fortunæ bona possidentes nequaquam absolvendos dicendum venit, si ad dictam domum filios ex libidine damnata susceptos miserint, & eleemosynas per amplas, aut pia legata eidem domui elargiri non faterentur; si quidem jus naturale, quod indispensabile est, eos obligat, filiis quamvis spuris alimenta præbere, l. 1. §. Jus naturale, ff. de Just. & Jur. §. Sed naturalia. Inst. de Jur. nat. gent. & Civil. capitul. Cum haberet, ubi Gloss. & DD. De Eo, qui duxit in Marit. quam pol. per adul. Eminentiss. Cardin. Paleott. De Nothis, & Spur. cap. 47. ubi text. & DD. Ricciul. de Personis, quæ in statu reprobo versantur *lib. 3. cap. 31.*

Sed magis difficilis erit cuicumque Confessario sequens Casus: Advocatus Parocho confiteri per sex Instra causas injustas defendisse, sed semper vincendo. Quæritur, ut talis Penitens salvetur, quid ei Parochus insinuare debeat?

X

Pro

Pro responsione dictum fuit, insinuare debere, ut faciat id, quod fecit Joannes Paten-
 tius Pistojensis celeberrimus Advocatus, de quo
 7 narrat Lucas Vadingus in *Chron. Relig. Francisc.*
Anno Christi 1211. (& refertur à P. Menoch. in
Histor. Miscell. Sacra part. 1. cap. 347. à P. Benedi-
 cto Mazzari in *Chron. die 1. Januarii.* & Episcop.
 Veglen. *Serm. in Decalog. num. 570.*) quod, cum
 quodam vespere vidisset Porcarium urgentem
 sues, qui stabulum detrectabant ingredi, & ira-
 tum tandem dicere audivisset, *Ingreddimini maledi-
 cti, sicut anima Judicum, & Advocatorum ingreditur infernum:* statim porci illi maximo conatu stabu-
 lum intraverint. Quo dicto, & facto expege-
 factus causarum ille Patronus omnibus suis bonis
 in egenos distributis ingressus est Religionem S.
 Francisci, in qua poenitentem vitam fecit, &
 sanctam mortem obiit. Mehercule, Advocatus,
 de quo in casu, nisi dederit omnia bona
 sua ad refarciendum damna istis, contra quos li-
 tes injustas egit, salvari non potest, cum omni-
 8 um Juristarum, & Theologorum sit sententia,
 obnoxium esse Advocatum causas injustas pa-
 trocinantem restitutioni. Cardin. Tolet. *lib. 5.*
cap. 61. num. 2. Layman. *lib. 1. tract. 1. cap. 5. §.*
3. num. 18. & lib. 3. tract. 2. cap. 5. num. 3. &
4. Graffius in Decis. part. 1. lib. 3. cap. 8. &
Regin. in Praxi fori Poenit. lib. 23. cap. 55.
 Quamvis enim munus summis laudibus dignum
 sit advocare, ut scribit Loterius de *Re benef. in*
Apparat. à num. 150. & seqq. & Thomas Garzon.
 in *Platea Univers. discurs. 12.* & videatur licitum
 tueri causas dubias, vel minus probabiles, ma-
 xime admonitis clientulis, ut scribit Diana *part.*
9. tract. 8. resol. 63. quæ habetur in *Coor-*
dinato tom. 8. tract. 1. resol. 25. nihilominus
 est super omnia periculosum, & in eo versatur
 manifestum discrimen damnationis æternæ, ut
 demonstrat Paulus Aringhi in *Monument. Infelicit.*
tom. 1. lib. 2. cap. 6. adeo ut nullum aliud videatur
 esse remedium, quam supradictum, ubi
 quis per triginta continuos annos lites injustas
 protexerit, & vicerit; nam quis poterit librare
 bona sunt ablata, præter expensas, & alia in-
 comoda? Hinc est, quod in *Instruct. Pract. de*
 10 *Confessionib. P. Tobias Lohner Soc. Jesu* det mo-
 nita pro salute æterna cujusque status consten-
 tium, sed de Advocatis neque verbum quidem;
 quod ex oblivione omisum esse non credo, sed
 ob impossibilitatem relictum suspicor. Salo-
 mon in *Prov. cap. 21. Vers. 6.* ait: *Qui congregat*
thesauros lingua mendacii, vanus & excors est, & im-
pingetur ad laqueos mortis. Quæ verba ita Cor-
 nelius à Lapide commentatur: *Thesauros congre-*
gant per linguam mendacem: Primo Judices, qui auro
corrupti mendacem ferunt sententiam: Secundo falsi tes-
tes, qui falsum testimonium vendunt auro: Tertiò Ad-
vocati, qui injustam causam defendunt ob lucrum.
 Deinde declarat, qui sint laquei mortis, in
 quos impingunt: & subdit eos esse angorem
 conscientie, horrorem mortis, nimiam cupidi-
 tatem ad pecuniam, ob quam impediuntur re-
 stituere; unde subdit: *Hinc videmus ex centum vix*
tres reperiri, qui ablata restituant. Hæc dicta sint
 de Advocatis consimilibus illi, de quo in casu;
 nam cæteris piis, timorem Dei præse ferentibus,
 & non nisi justas causas patrocinantibus & salus
 æterna, & magnum præmium reservatur in cœ-

lo à Redemptore nostro, qui Advocatus
 omnium est fidelium, & hoc nomine voluit in-
 signiri à Discipulo dilecto, ubi scripsit: *Advo-*
catum habemus apud Patrem JESUM Christum
justum. 1. Joh. 2. 2. De iisdem vide infra *Decis.*
 156.

DECISIO C.

ARGUMENTUM.

Declaratur, Quid sit Abstinencia? Quotuplex?
 Quot ejus species? Quæ ejus extrema?

SUMMARIUM.

1. Abstinencia quid sit?
2. Quotuplex?
3. Nobiles in mensis lauris possunt servare absti-
 nentiam.
4. Homines cibantes se stercore, calce, aut vi-
 tris.
5. Astomi, qui nutriuntur odoribus.
6. Sobrietas in quo differat ab abstinentia?
7. Abstinencia quæ sint vitia contraria?
8. Inedia quando sit peccatum?

Abstinentia, quæ ab *Abs.* & *teneo* dicitur, qua-
 si à longe teneo) nihil aliud est, nisi moderatio
 in cibo, & potu juxta rectum dictamen rationis. S.
 Thom. 2. 2. *quæst. 146. & 147.* Martin For-
 nar. *lib. 2. tract. 2. cap. 25. post. Summ. Tolet.*
 Eminentiss. Card. de Lauræa 2. d. *Virtut. in gener.*
disput. 31. art. 5.

Quadruplex est abstinentia in cibo, & potu.
 1. *Virtuosa, Religiosa, Miraculosa, Prodigiosa.* Ab-
 stinentia *Virtuosa* est illa, quæ nullam respuit
 qualitatem ciborum, neque condimenta, (ni-
 si in tempore prohibito) sed omnibus utitur
 cum mediocritate, quæ circa quantitatem men-
 suratur à necessitate nature, circa condimen-
 ta à conditione personæ; ideò nobiles, ac
 Principes, etsi mensas habeant opiparas, attenta
 eorum conditione, possunt servare abstinen-
 tiam virtuosam. Eminentiss. Card. de Lauræa
 2. *disput. 31. art. 5. num. 187. & 301.* Ab-
 stinentia *Religiosa* respuit nedum superfluum
 quantitatem cibi, & potus, sed etiam qualita-
 tem, pretiositatem, ac voluptuosam præparatio-
 nem, & in eisdem simplicibus attendit mediocri-
 tatem ex pura necessitate ad vitæ sustentationem.
 Eminentiss. Cardin. de Lauræa *ubi sup. num.*
295. & 309. Abstinencia *Miraculosa* est illa,
 quam famuli, & famulæ Dei professi sunt ex
 speciali gratia, viventes pluribus diebus absque
 cibo naturali, & pluribus annis sola Eucharistia
 Santissima, ut ex eorum Vitis constat, & ex
 exemplis simul relatis à P. Bagatta in *admirand. Orb.*
Christ. tom. 2. lib. 3. cap. 3. §. 5. & à Jacobo Pi-
gnatello J. C. Rom. tom. 4. Consult. 42. per totam,
 plenam eruditionibus, Historiis, & casibus,
 quam legisse parochos delectabit. Abstinencia
Prodigiosa est illa, quæ observatur in pluri-
 bus personis, quæ vel vivunt absque cibo, de
 quibus agit Fortun. Lycetus, nostra ætate
 in hoc Publico Gymnasio Paravino Lector
 eximius in *tract. de his, qui diu vivunt sine*
alimento lib. primo à cap. 1. usque ad caput.
 15. Vel quæ cibis naturalibus relictis
 nutri-